

# CAESARAV GVSTANA BONO- RVM, SIVE EMPHITEO- SIS DE MARECA.

Fa &ti:

IE XXVII. Nouembris 1452. Bernardus de Villalua, tunc Archidiaconus Ecclesiae Cæsaraugustanæ, & Satius Fatas, Charitaterius eiusdem Ecclesiae, cum consensu Dominici Doliet, Canonici, & Procuratoris Prioris, & Capituli; ac cum auctoritate, & decreto Ioannis de Ceruera, tunc Officialis & Regentis Officialatus dictæ Ciuitatis, cōcesserunt in emphiteusim, seu tributum perpetuum, dō Petro Cornel, & suis, & quibus ipse voluerit, Villam de Mareca, sitam in termino de Xalon, confrontantem cum Terminis de Epila, cum Terminis de Tichenich, cum terminis de Saliellas, & cum Flumine de Xalon, cum iurisdictione, bonis, iuribus, & pertinentiis omnibus spectantibus, & pertinentibus addictam Ecclesiam, & eorum Beneficia, & inter alia, cum pactis & conditionibus infra scriptis.

Primò, quod dictus Petrus, & quicumque pro tempore dictæ Villæ, & bonorum possessor teneatur annis singulis soluere pro Tributo, 400. solidos, videlicet, 200. Archidiacano pro tempore, & alios 200. Charitaterio in Ciuitate Cæ-

A sara-

140  
saraugustæ, & in domo eorundem beneficiorum in festiuitate Omnim Sanctorum, vel per mensam post, sumptibus & expensis ipsius Petri, & successorum.

Secundo, quod toties quoties dicta Villa, & bona per viam donationis, testameti, vel ab intestato, vel alio titulo gratuito perueniant ad manus aliorum, illi tales noui possessores teneantur infra sex menses à die quo fuerint requisiti, se obligare de soluendo dicto tributo, & de obseruandis conditionibus contentis in eodem instrumento concessionis, vel accipere dictam Villam, & bona ab ipsis concedentibus de novo ad tributum cum conditionibus in dicto instrumento contentis.

Tertio, quod non possint dicta Villa, & bona diuidi in partes, neque dari, seu alienari, neque per testamentum relinqui, lampadæ, Mauris, leprosis, neque alteri personæ potenti, seu priuilegiatae, sed tantum in filios eorum, aut personas, penes quas dictum tributum, & alia superius expressa sunt tuta, cum dicto tamen tributo, oneribus, conditionibus contentis in instrumento concessionis.

Quartò, quod in eventu, in quem dictus Petrus & successores in dicta Villa, & bonis, non soluerint dictum tributum anno quolibet modo & forma superius expressis, & non adimplebunt, & obseruabunt omnia, & singula onera, & conditiones superius expressas, ceciderint, & cadant in comissum, & utile dominium consolidatum sit, & applicatum directo: & ipsi Archidiaconus, & Caritaterius propria authoritate, possint comissare (fries videbitur) & ingredi possessionem pacificam dictæ Ville, & bonorum cum omnibus melioramentis in eis factis, & de illis disponere ut de bonis proprijs eorum beneficiorum deuolutis, & dictus

Petrus

Petrus, & successores amississe dicantur omne ius quod in il-  
lis haberent, seu quoquis modo prætendere possent, & nihilo  
minus teneantur soluere tributum decursum, & non solutū,  
cum omnibus damnis & interesse exinde passis, & patiēdis,  
& aliās, prout in instrumento desuper celebrato, cuius co-  
pia datur.

Marchionissa de Moncayo, quæ vltimō habuit, & posse-  
dit dictā Villā & bona, postquam cessauit per triēnum solue-  
re tributū Cheritaterio, & per annū, videlicet 1600. D. Archi-  
diacono, decepit die 29. Septembris 1601. & post illius obitū  
fuit reperta quædā apoca (quā plicā vocāt) in Archiuo Col-  
legij Societatis Iesu dictæ Ciuitatis, subscripta manu illius, &  
Domnæ Franciscæ Cornel eius Filiæ, & sigillata, & confecta  
die 27. Februarij eiusdem anni, & vt dicitur cum interuentu,  
& præsentia non nullorum Religiosorum dicti Collegij: In  
qua plica dicta Marchionissa relinquit dictæ Franciscæ suæ  
filiae omnia sua bona, & inter ea dictam Villam, & bona de  
Mareca, & ea decedente sine filiis, seu sine dispositione, tum  
substituit, & reliquit eadem bona Rectori, & Collegio præfa-  
to ad effectum fundandi aliud Collegium, seu Domuin pro-  
fessā, & hæc plica, siue dispositio suit quoq. cōfirmata, & mā-  
data obseruari per dictam Marchionissam in suo vltimo  
testamento.

Rursus in eadā plica reperitur, quod dicta Marchionissa  
reliquit & legavit D. Iacobo Garces vnum campum exterris  
de Mareca, quem ipse maluerit eligere pro se, suisq. filiis, qui-  
bus deficientibus substituit dictum Collegium.

De dicto Mense Septēbri, defunctis dicta Marchionissa,  
& eius filia sine alia dispositione, Rector & Patres dicti Colle-  
gij statim appræhenderunt possessionem dictorum bono-

rum, de quibus habita notitia per Agentes Reuerendiss. D.  
Archidiaconi, &c per D. Charitaterium, illi declararunt deuo-  
lutionem, & bona prædicta incidisse in commissum, & ad  
euitanda scandala, Regia Audientia associante, appræhende-  
runt possessionem, & nunc eis prosequentibus causam iux-  
ta stilum in similibus casibus seruari solitum in Regno Ara-  
goniæ; quæritur de iure partium: & pro D. Archidiaco-  
no, & Charitaterio respondendum videtur ex sequenti-  
bus.

Nam pro caducitate, & commisso tria adducuntur primo  
cessatio solutionis per annum D. Archidiacono; quod si-  
ne dubio sufficit, stante pacto expresso in instrumen-  
to concessionis dictorum bonorum, quod tributum debeat  
solui quolibet anno, alias dicta bona cadant, & cecidisse di-  
cantur in commissum, ac dominium utile cum directo con-  
solidatum dicatur, quod pactum habet vim legis particula-  
ris inter contrahentes, & successores, & est omnino seruan-  
dum, non obstante, quod de iure communii requiratur ces-  
satio solutionis per biennium, nam dispositio hominis facit  
cessare dispositionem legis. Præterea cessatum fuit in solu-  
tione trium pensionum anni Cononis, soluendi Cha-  
ritaterio scilicet annis 1598. 1599. & 1600. Ex quo etiam fuit  
declarata caducitas, quæ non impeditur prætextu quorun-  
dam solutionum quæ factæ dicuntur Capitulo Sedis Cæ-  
saraugstanæ, seu eius Procuratori; quia dominium spectat  
ad Charitaterium, non vero ad Capitulum, & non con-  
stat competere aliquod ius ipsi Capitulo, & per conse-  
quens prætensiæ solutiones, tamquam illegitimo domino  
factæ non relevant, cum ius concedentis non reperiatur  
immutatum, vel translatum in fauorem Capituli.

Non

Nō obstat quod ista caducitas & cōmissum, fuerūt decla-  
rata post obitū dictæ Marchionissæ, quæ cessauit in solutio-  
ne, quia cum dictum tributum exigeretur a Procuratore af-  
ficiarij omnium reddituum Dignitatis, Agentes D. Archi-  
diaconi non habuerunt notitiam, nisi post quam viderunt  
bona peruenisse ad Collegium, & sic cum ex capite iustæ ig-  
norantiae, non possit eis ascribi aliqua negligentia, & ceteret  
præsumptio quod noluerint commissare viuēte D. Marchio-  
nissa, sufficit eos fecisse declarationem statim quod habue-  
runt notitiam.

Secūdō, nō obstat quod dicitur nō stetisse per Marchionis-  
sam, quominus solueret in tēpore, quę semper fuit diligēs in  
solutione, sed per Procuratorem Afficiarij D. Archidiaconi  
qui solebat exigere dictū tributū, quē pluries fuisse requisitū  
præsupponitur pro parte Marchionissæ, ut daret apochā solu-  
tionis de manu Didaci Casales, quia erat parata soluere tri-  
butū, & ille Procurator respōdebat se id facturū, quia istae dili-  
gētiæ negātur in facto esse veræ pro parte D. Archidiaconi,  
& ideo debet̄ verificari per Collegiū, & in omnē casum vide-  
tur quod nō releuēt, quia ad euitādām caducitatem debebat  
Marchionissa facere depositum.

Tertiō, nō obstat quod dicitur dictum Procuratorem fe-  
cisse apochām solutionis, & quod per illam cēsetur remissa  
caducitas ex isto capite, & quod idem Procurator declarau-  
erit nō stetisse per Marchionissam, sed per eū quominus fuis-  
set solutum in tempore.

Nā pro parte D. Archidiaconi respōdetur, quod dicta apo-  
chā facta fuit per Procuratōrē Afficiarij per nouē dies post  
acceptatū cōmissum, & caducitatē, & sic nō potuit præiu-  
dicare iuribus D. Archidiaconi sine eius speciali inādato: itē

dicitur quod nō fuit secuta realis solutio, sed tantum scripta apocha sub spe futuræ solutionis, præsertim quod illā fecit dictus Procurator cū alia declaratione prædicta, propter importunas & nimias intercessiones, & solicitationes Procuratas ab Agentibus dicti Collegij.

Secundò pro caducitate adducitur diuisio honorū dictæ Villa de Mareca facta per dictam Marchionissam in eadē pli ca, dum ipsa legavit vnum campum D. Iacobo, & suis filiis, quod est cōtra paētum expressum in dicto instrumēto cōcessiōnis, vbi dicitur quod nō possint dicta Villa & bona diuidi in partes.

Nec potest dubitari quin per istam, & alias cōtrauētiones dicatur incursa pœna caducitatis, tū quia de iure emphiteota cōtraueniēs paētis cotentis in instrumēto emphiteosis, incidit in eam, tum quia in casu nostro adest paētū expressum in eodem instrumēto quod per nō adimplemētum omnium onerum & conditionum in eo cōtentorum, & cuiuslibet ea rum, bona cadant & cecidisse dicātur in commissum, & utile dominium consolidatum cum directo.

Nō obstat quod dicitur dictam Marchionissam in dicta Villa de Mareca habuisse plura alia bona propria, & nō comprehendens in instrumēto concessionis facta Petro Cornel, & quod in dubio relictū dicti Campi factum dicto Iacobo, fuit & intelligi debet de bonis propriis, de quibus dicta Marchionissa poterat libere disponere.

Quia pro parte D. Archidiaconi negatur hoc esse verū in facto, & Collegiū tenetur illud probare, quia Reuerēdissimus D. Archidiaconus fundat intētōnē suam in instrumēto cōcessionis, in quo cōceditur Petro Villa de Mareca cum suis iurisdictione, hæreditatibus, montibus, & pertinētiis suis, &

sic

sic dum relinquitur Iacobo vnuſ Campus ex terris de Mare  
ca, dicitur relictum factum de comprehensiſ in dicta concesſione, quæ est generalis de Villa cum omnibus suis hæredita‐  
tibus, & pertinentiis.

Tertiò pro caducitate adducitur alienatio facta ad fauore Rectoris, & Collegij prædictorum, quod est contra formam alterius conditionis appositæ in instrumēto, quod dicta bona non possint alienari, nequè relinquere in testamento ad fauorem lampadæ, & personæ potentis seu priuilegiatae, quæ omnia concurrunt in casu nostro, ex quo dictus Rector, & Collegium habent Ecclesiam cum lampade semper accēſa (nam hoc significat prohibitio, ne possit relinquere lampadæ) sunt etiam potentes, & priuilegiati, non solum quia sunt exempti a iurisdictione Ordinariorum, sed etiam quia gaudent omnibus priuilegiis Ordinum Mendicantium, ut ipsi met fatentur, & infra dicam, & hodie vix reperitur alia Religio adeo potens artibus (ut est notorium) & sic non potest dubitari, quin sint de comprehensiſ in pacto prohibitiuo.

Non obſtat quod opponitur prohibitionem alienationis in lampadas, & personas potentes, & priuilegiatas præsumi appositam a Notario ex suo capite sine ordine Archidiaco‐ni, & Charitaterij, ex eo quod de ſtilo Notarii in ſimilibus inſtrumentis ſoleat apponere dictū paſtū prohibitiū, etiā quod partes nō dixerint, & quod nihilominus a tempore imme‐morabili, & citra, emphiteotæ & tributarij alienarū & relinquerunt etiam in ultimis voluntatibus bona emphiteoti‐ca, & tributaria personis Religiosis, & potentibus, Monasteriis, & locis piis; quia negatur talis ſtilus, & conſuetu‐do, & Collegium allegans dictum ſtilum, tenetur illum

concludenter probare: cum sit fundamētum suæ exceptionis.

Non obstat secūdō quod opponitur Societatē Iesu esse Ordinis Mēdicantī ut constare ascritur per Bullam Pij V. sub Dat. Romæ die 7. Iulij 1571. & quod gaudeat omnibus priuilegiis concessis, & concedendis, quibusuis Religio-nibus Ordinis Mendicantium vigore Brevis Gregorij XIII. sub die 3. Maij 1575. ac quod Ordo Mendicantium pōtest obtinere quæcumque bona fēudalia & emphiteotica, etiam Ecclesiastica quocumquè titulo sibi concessa, tam inter vi uos, quam ex testamentis, ut constare dicitur per Bullam Cælestini V. ad fauorem Congregationis Cælestinorum 5. Kal. Octobris. Pontificatus sui anno primo, & Leonis X. sub quinto Kal. Februarij. 1519. ad fauorem Archiconfra-ternitatis Charitatis Vrbis.

Nam respondetur, quod licet adsint talia priuilegia ha-bilitantia dictos Ordines ad obtinendum bona emphiteotica & fēudalia aduersus iuris dispositionem, non ta-men habilitant aduersus particularia paēta & cōuentiones apposita in instrumento concessionis, prout in casu nostro, cui Papa non censetur voluisse derogare in præiudicium Domini directi.

Non obstat tertio quod dicitur per Constitutiones Syno-dales illius Archiepiscopatus Cæsaraugustani disponi, quod quotiescumq. personæ Ecclesiasticæ commissauerint bona tributaria ob non solutionem, vel ex alio quocumq. capite, quod facta solutione tributi & expensarum per dominos viles & tributarios, Domini directi teneantur eis restituere bona tributaria.

Quia nō cōstat ē dictis cōstitutionib⁹, & quaten⁹ cōstatet nō  
tele-

releuant, quia intelliguutur quoād personas cāpācēs, & nō de personis, quā ex instrumento concessionis, vel alio iure snt incapaces dictorum bonorum prout in casu nostro sunt Rector & collegium.

Non obstat vltimo quod dicit Collegium, saltem illi de beri aestimationem dictorum bonorum, ex eo quod quando bona emphiteotica & tributaria deueniunt ad Ecclesiā, locum pium, vel alias ad manū mortuam debent vendi, & solui aestimatio: nam dicta conclusio non procedit vbi adest pactum prohibitum alienationis ad fauorem Ecclesiarū, & similiū locorum, & quod in euentū contrāuētionis incurrit ipso iure poena caducitatis, & comissi prout adest pactum expressum in casu nostro.

Minus obstat quod dictum pactum prohibitum sit conforme iuri communi, & quod proinde recipiat omnes declarationes, & limitationes datas per Doctores a iure communi quia cum constet de expresa voluntate contrahentium, quod in euentū alienationis ad fauorem laicū padæ, personæ potentis, & priuilegiatae, bona cadant in comissum, &c. non est locus alicui declarationi, sed debet obseruari pactum contentum in instrumento.

Vltimo suplicatur considerari modum cautelosum, quo vñ fuerunt Rector & patres dicti Collegij pro obtinendo legato istorum bonorum, nam procurarunt confici illam pli cam per dictam Marchionissam, & suam filiam, sine praesentia aliquorum consanguineorum siue testium claudi & sanguillari, & postea eidem Rectori consignari, vt in Archivio Collegij illam custodiret: & successive quia poterat dubitaride viribus illius procurarunt confici testamen tum solemne per eandem Marchionissam, & filiam, in quo

quo al iud non fecerunt quam se remittere ad dictam pli -  
cam , declarando , & mandando quod contenta in ea adim  
plerentur , & obseruarentur pro earum ultima voluntate , &  
testamento . Vnde absonum admodum videtur quod isti  
Rector , & Patres ex isto modo adeo cauteloso , ne dicam  
fraudulento , debeant reportare commodum , ad vulgarem  
regulam , quod nemo debet reportare commodum ex eo  
quod potius meretur poenam & priuationem .

Quare , &c.

CO: